Sytbr 59.

744

3

)3

e

בשם אלהים

DISSERTATIO GRADUALIS
De
LXXII INTERPRETIBUS

Quam
Ex indultu Ampliss: Ordinis Philosophici in Reg. Acad: Upsaliensi
PRÆSIDE
VIRO
Max. Reverendo atque Amplissimo
D:NO JOHANNE ESBERGIO
S.S. Theol. Doct. & Græc. Ling, PROFESSORE Ord.

Publice examinandam sistit
JOHANNES TRUNDMAN
Medelpad.
In Aud. Gust. majori ad diem 14 Maji Anno M. DCC. III. horis consvetis.



UPSALIÆ,
Per J. H. WERNER *Reg. Academ.*

S:æ R:æ Maj:tis
Magnæ Fidei
VIRO
Illustrissimo atq; Generosissimo
BARONI
Dn. JOHANNI
CLERCK
AMMIRALI & GUBERNATORI
Per Sudermanniam
excellentissimo,

Mæcenati Summo.

Illustrissime BARO,
Domine gratiosissime,

C*Erto certius equidem*, Illustrissime Domine, *mihi persvadeo, projectæ audaciæ me esse multos existimaturos, quod rudes atque inconditas hasce pagellas,* Fulgentissimo Nomini Tuo *inscribere non verear: verum cum vicissim ab altera parte, recordatio altius subeat mentẽ meam, quam insigni favore omnes Musarum Alumnos excipere soles; quaq; impri-*

re

mis eximia benignitate & gratia in me ſemper fuiſti, audent quoq; ex coruſco Nomine Tuo, ſplendorem & decus ſuum ſibi conciliare præſentes. Accipias igitur, Illuſtrisſime Domine, ſerena, uti ſoles, placida & benigna fronte, quod devotisſima mentis veneratione Tibi humillimus Cliens offert conſecratque. Accipias munuſculum hoc chartaceum, utut tumultuarie elaboratum, leve & omni nitore deſtitutum; ſignum tamen conſtantis pietatis, teſtemque indubium animi ſubmisſi, atque nunquam non, vota pro ſalute Tua indefeſſa, nuncupare, paratisſimi. Ardentisſimas itaq; ad Deum Ter Opt. Maximum, Illuſtrisſime Domine, preces emitto, Te ubiq; conſervare velit, bonisq; omnibus, cumulatisſime beare, ut & Regi, qui

Te

Te *in tanto fastigio constitutum vo-luit*, & Patriæ, *de qua summe meritus es*, Illustrissimæ *denique* Familiæ Tuæ, *cujus ornamentum vere audis præsidiumque, in senectam usque vivas, valeas, vigeas, floreas!*

Illustrissimi Domini Baronis
Ammiralis & Gubernatoris

Devotissimus & humillimus
cultor

J. TRUNDMAN.

Reverendo atque Doctissimo

Dno. JONÆ TRUNDMAN,

Ecclesiarum, quæ in Torp & Borgsiö colliguntur, ut V. D. Ministro fidelissimo; ita Parenti suo carissimo, optimo.

Carissime Parens

SI tantum pietatis & filialis obsequii, carissime Parens, Tibi exhibere conarer, quantum paterni amoris & affectus erga me semper declarasti; tum sane, optime conscius mihi sum, omnibus me destitui facultatibus, quibus condigne id exsequi possem. Beneficia enim illa, quæ mihi præstitisti, jam ab eo temporis tractu, quo primum hac luce frui cœpi, usque ad hæc tempora: illa, inquam, dum secreta æstimatione mecum pensito, tam multa, tam magna, tamque ampla sunt, ut nunquam iis exprimendis, multo minus compensandis, me ulla ratione parem agnoscam. Ne autem tantorum bonorum plane immemor sim, cum aliud referre non queam, primum Tibi carissime

rissime Parens, gratias ago habeoque immortales: inde vero venerabunda mente oro rogoque, exercitium hoc Academicum, qualecunque & leve equidem, ceu tesseram tamen gratissimi animi accipere digneris, juxta sancte promittens, me haud ullum, quod mei in Te officii esse, intellexero, ad cineres usque intermissurum esse. Quod reliquum est, ad supremum Numen ardentes fundo preces, præsertim ingruente senecta vires Tibi firmas largiatur, & adhuc mihi ingenti gaudio Te diu superstitem atque incolumem servare velit. Sic vovet,

Carissimi Parentis

observantissimus filius

J. TRUNDMAN.

Domine Candidate,

Cum comperiam, Te brevi iterum exhibiturum publicum aliquod specimen ingenii tui, non possum officium intermittere meum, quin paucis erga Te hac occasione candorem animi sinceritatemque ostendam. Et profecto, non pauca memet in præsens exstimularent, ut in debitas tuas irem laudes; nisi ea, qua es, beneque audis ab omnibus, modestia illud prorsus impediret prohiberetq;. Proinde, Perex. Domine Candidate, Tibi aperto pectore tantum gratulor insignes Tuos in literis progressus, quos, vel me tacente, omnes ex hac egregia Tua Dissertatione satis superque percipient: precibus insuper Deum Optimum Maximum fatigans, velit aliquando fructum laboribus Tuis dignum impertiri, cunctaque ita dirigere, ut in ejus gloriam, Rei Christianæ emolumentum, Parentum denique, Tuorumque omnium solatium gaudiumque tempore procedente felicissime cedant. Scr. Ups. d. 5. mens. Maji, Ann. CIƆIƆCCIII.

Tui amantissimus

C. CLERCK.

J. J. T. M.

§. I,



Riusquam ad præsentis argumẽti tractationem me accingo, in limine ipso expediet omnino pauca præfari, quæ rationem instituti mei leviter attingere; & viam, quam in progressu potissimum ingressurus sum, utcunque monstrare possint. Cumque adeo, de LXXII Interpretibus, & versione ab illis adornata, aliqua disserere in animum induxerim, omnium primo illud ingenue fateor, me hîc nihil minus, quam anxium fuisse, in adducendis tantum non innumeris, qui hac de re scripserunt, Auctoribus, sufficere existimans tantummodo præcipuos allegasse: quo nomine etiam, Candidi Lectoris, veniam me facile im-

petraturum ſpero, quod nec habitus temporis mei, nec anguſtia chartæ, intra quam materia hæc latiſſime patens cogenda eſſet, id permittere queant. Deinde eam in ſcribendo, methodi rationem obſervare conſtitui, ut cum diverſa, ab utraque parte ſentientium placita attulero, ipſius adhæream ſententiæ, qui quam proxime videtur accedere ad veritatem: imo quoque, ubi opus fuerit, hoc mihi concedi peto, ut quemadmodum ſemper alias, ita nunc maxime tenuitatis ingenii mei nequicquam immemori, liceat aliorum ſalvo & longe feliciori judicio potius relinquere ea, quibus explicandis impar fuero, quam ut temere quid ſtatuam. Et ſi dicendum id quod res eſt, tam graviter viſi ſunt deſudaſſe clariſſimi & ſummi viri, in eruenda vera hiſtoria LXX Interpretum, ut vix aliud quidquam majus negotium ipſis faceſſere potuerit. Neminem itaque fore putaverim,

qui

qui mirabitur, si & ego hac occasione aliqua prætermisero, quæ forsan minus commode, & non sine jactura veritatis in medium adferrentur. De cetero, rursus enixe contendo, C. L. pro solito favore cuncta benigne interpretari, & incepto innoxio favere dignetur.

§. 2. Haud auspicatiori successu, historiam interpretationis LXXII Interpretum persequi me posse arbitror, quam si breviter repetantur aliqua de Ptolemæo Philadelpho Ægypti rege: cujus in negotio hoc procurando & expediundo, singularis diligentia, & Principe dignissima opera, nunquam satis celebrari potest. Elogia quibus à Philone exornatum deprehendimus sunt plurima. Eorum vero inter alia, etiam hoc præclarum: Συνόλως μὲν οὖν ἡ τῶν Πτολεμαίων οἰκία διαφερόντως παρὰ τὰς ἄλλας βασιλείας ἤκμασεν, ἐν δὲ τοῖς Πτολεμαίοις ὁ Φιλάδελφος. Ὅσα γὰρ εἷς ἔδρασεν οὗτος ἐπαινετὰ, μόλις ἐκεῖνοι πάντες ἀθρόοι διεπρά-

ξαντο. γινόμενος κατάπερ ἐν ζώῳ τὸ ἡγεμονεῦον, κεφαλὴ τρόπον τινὰ τῶν Βασιλέων. Ὁ δὴ τοιοῦτος ζῆλον, καὶ πόθον λαβὼν τῆς νομοθεσίας ἡμῶν εἰς ἑλλάδα γλῶτταν τὴν Χαλδαικὴν μεθαρμόσεσθαι διεπονεῖτο καὶ πρέσβεις εὐθὺς ἐξέπεμπε πρὸς τὸν τῆς Ἰουδαίας ἀρχιερέα καὶ βασιλέα. *Quandoquidem in universum domus Regia Ptolemæorum ceteris Regis prænituit; inter Ptolemæos vero Philadelphus. Unus enim hic plura laude digna gessit, quam omnes reliqui ejus familiæ, quippe qui tantum inter eos eminuit, quantum caput in corpore. Talis Princeps captus amore legis nostræ ac desiderio, in Græcam linguam è Chaldaica transferendam curavit: & Legatos protinus misit ad Judæorum Pontificem, penes quem tum in ea gente erat auctoritas & majestas regia.* Incredibili enim literarum amore cum flagraret hic Ptolemæus Philadelphus, nullis sumtibus pepercit, sed libros, quotquot unquam haberi poterant, Demetrii Phalerei ductu comparavit & emit. Ut autem Bibliotheca

reddere-

redderetur instructissima, ejusque nitori nihil deesset, Demetrius Regi persvasit, ut Judæorum leges quoque lectu dignissimas, & cognitu simul jucundissimas sibi acquiri curaret: & ex Hebræa in linguam Græcam transferret; ut & eas, reliquorum librorum numero, aggregare & accensere posset. Rex hujus consilio approbato, legatos una cum literis, & amplissimis in usum Templi donariis Hierosolymas misit, ad Eleazarum tunc temporis Pontificem, Oniæque filium, fratrem vero Simeonis justi atque nepotem Jaddi, qui Alexandro M. obviam ivit, ejusque animum, propter denegatum in Tyri oppugnatione auxilium, Judæis iratum & infensum, sua venerabili & augusta specie ita permulsit & mitigavit, ut à Hierosolymitanis infesta averteret arma. Summa autem (nam singula fuse persequi non licet) literarum hæc fuit. Rex primum erga Judæos signifi-

ſignificat munificẽtiam & benigni-
tatem ſuam, qua omnes à Dominis
ſuis redemiſſet, qui patre imperan-
te eſſent abducti & ſervituti obno-
xii, talentis in hanc rem, ex ſuo fi-
ſco, ſexcentis & ſexaginta attribu-
tis: ut taceam aliam ejus benigni-
tatem & affectum, in omnes Judæ-
os propenſiſſimum, quem ipſis ubi-
que locorum conſtitutis obtulit. In-
de ipſa petitio ſubjungitur, ut, ſci-
licet, Pontifex pro dignitate inſtitu-
ti regii, electos ex quaque tribu ſex
ſeniores mittat: qui & vitæ hone-
ſtate, & peritia eſſent legum inſi-
gnes, eaque interpretandi facultate
inſtructi, ut tantum opus auſpicari,
& ad populi Judaici celeberrimam
memoriam abſolvere poſſent. Ad
hanc epiſtolam à principibus lega-
tionis allatam, ut humaniter erat
perſcripta; ita quoque amice & mo-
deſte reſponſum eſt. Proinde Re-
gis honeſtiſſimæ petitioni, non tam
renuebant Pontifex & ſeniores,
quam

quam potius ob consilium tam præclarum, summo perfundebantur gaudio, virosque ex unaquaque tribu sex seniores, & honestos illi concedendos decernebant, hac cautione tamen addita, ut post absolutam librorum versionem tuti restituerētur. Erant autem hi LXXII seniores viri præstantes, præclarisque orti parentibus: non modo Judaicarum, sed & Græcarum literarum peritissimi : atque adeo legis explicandæ dexterrimi interpretes. Adventu horum, quanta lætitia affectus Ptolemæus, quod tandem jam voti sui compos factus fuisset, vix dici potest. Admiratione vero non minori perculsus est, oblatis ostensisq; pellibus, in quibus Lex aureis literis lingua Judæorum perscripta erat; quarum membranæ & plagæ, magna arte elaboratæ erant ; majori etiam coagmentatæ & consertæ, ut juncturarum mendæ, lituræ & cicatrices, vix oculorum curiosissima

acie

acie notari poſſent. Libris itaque evolutis & explanatis, diu attonitus ſubſtitit: tandem accepti beneficii magnitudine & religione incitatus, geſtu verbis congruente, hæc dixiſſe fertur: 'Ευχαριστῶ μὲν [ex Ariſtea] ἄνδρες ὑμῖν· τῷ δὲ ἀποστείλαντι μᾶλλον· μέγιστον δὲ, τῷ Θεῷ, οὗ τινός ἐστὶ τὰ λόγια ταῦτα. *Gratias ago vobis viri: ſed majores ei, qui vos miſit: maxime vero DEO, cujus hæc ſunt oracula.* Verum enimvero ſicut Rex ſuapte indole erat munificus & liberalis erga omnes, exteros æque ac indigenas, bene de ſe meritos; ita nemo non intelligere poterit, quanto honore, humanitate, benignitate & liberalitate hos exceperit. Septem dierum ſpatio, lautis & opiparis epulis eos tractavit, conviviis erudita colloquia quandoque interpolans & miſcens, proponendo admodum impeditas, & difficiles quæſtiones ſenioribus explicandas. Iis vero nullo negotio ſe epedientibus, ſummam illorum erudi-

eruditionem, pariter admiratus & reveritus eſt. Sed ne longiorem, antequam opus ipſum aggrederentur, temporis jacturam facerent, Demetrium Phalereum juſſit, opportuna procurare & proſpicere, domicilia Judæis, ad quæ diverterent, & meditatam verſionem adornare occiperent. Haud procul autem aberat urbe inſula Pharus, in qua domus, ad ſeptentrionale ejus littus, ſplendide exſtructa ipſis conceſſa eſt, ubi ab omnium ſtrepitu & interpellationibus remoti, die quovis ad horam nonam, translationi invigilarent; diei vero reliquum, debitæ corporis recreationi curæq; omnino reſervaretur. Hîc congregati, cum unusquisque, quod reddidiſſet, adcuratius cum reliquis conferret, tandem 72 diebus elapſis, coronidem operi impoſuerunt univerſi ac ſinguli, perinde ac ſi data opera illud factum fuiſſet. Hæc quam fieri potuit breviſſime, ex an-

tiquiſſimo LXXII Interpretum Scriptore Ariſtea collegi; quem Philadelphus ob probitatem, prudentiam & ſingularem eruditionem, ſummo in pretio habuit. Alioquin à B. Hieronymo, in Præfat. ad Pentateuch: dictus eſt ejus ὑπερασπιστὴς. Plura qui deſiderat adeat ipſum. ut & Fl. Joſephum lib. 12. Antiquit. Jud. item Philonem lib. 2. de vita Moſis. Ex hisce, quæ attulimus, haud ignota, à Juſtino Martyre in Parænetico ad Græcos, manaverat traditio de 72 cellulis, quibus ſinguli incluſi verſionem elaboraverint. Non pigebit pauca ex illo adſcribere. Ταῦτα οὐ μῦθος ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ πεπλασμένας ἱστορίας ἀπαγγέλλομεν· ἀλλ' αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ γινόμενοι, καὶ τὰ ἴχνη τῶν οἰκίσκων ἐν τῇ Φάρῳ ἑωρακότες, ἔτι ζωζόμενα, καὶ παρὰ τῶν ἐκεῖ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότων ἀκηκοότες ταῦτα ἀπαγγέλλομεν. *Hæc vobis, viri Græci, non ut fabulam, neque confictam hiſtoriam renunciamus, ſed qui ipſi Alexandriæ fuerimus: & veſtigia domuncularum*

cularum apud insulam Pharum, adhuc reliqua viderimus: ab incolis, qui res patrias per manus sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus. Refert præterea tam felicem interpretationis operam eos præstitisse, ut non dictione, ne verbo quidem dissenserint. Epiphanius vero libro de ponderibus & mensuris, atque post eum Justinianus Novell. 146: meminere 36 cellularum, quibus boni illi viri inclusi, versionem suam absolverint. Sed quantum fidei hisce Auctoribus tribuendum, ex sequentibus patebit, præsertim dum sum̃orum, hac de re, virorum judicium in medium adferemus.

§. 3. Quorum in superioribus mentionem injecimus ex Aristea, & qui ab illo in narrando non discesserunt, Philone & Josepho, non desunt, qui tanquam penitus ficta in dubium vocare satagunt. Hos inter omnium primo Ludov: Vives in August. de Civit. Dei lib. 18. cap. 42.

controversiam movet, annon à Judæo aliquo Alexandrino evulgatus sit liber nomine Aristeæ; eaque ratione suppositititius audiat, & non scriptum ejus genuinum. Quod autem ille se putare dicit, magna confidentia asserit clarissimus Scaliger, ad annum Eusebii 1734, concedens quidem Ptolemæum Philadelphum Alexandriæ bibliothecam locupletissimam exstruxisse, ac sacra Hebræorum monumenta jussu ejus in Græcum sermonem conversa fuisse: historiam Aristeæ tamen omnino suppositam, & pleraque ejus ficta esse. Quæ a. à summo illo viro, pro adversa parte ponuntur, fere hæc sunt. Primum ex vetustissimo scriptore Hermippo, quem apud Diogenem Laërtium citat, asseverat tantum abesse, ut Demetrius Phalereus, ullas in procuranda bibliotheca regia partes sustinuerit, ut potius Regi Philadelpho semper summe exosus fuerit, & statim ab initio regni ipsius

us obierit. Odii caussam prodit, cum dixerit ita se habere: *Ptolemæus Lagi filius nomine Σωτὴρ liberos sustulerat ex Eurydice, & unum ex Berenice. Hortabatur Regem Demetrius, ut filios Eurydicæ regni successores designaret, non autem filium Berenices, qui postea Philadelphus dictus est. Cum hoc Demetrii consilium ad Philadelphum emanasset, tantam ejus offensionem incurrit Demetrius, ut statim post obitum Ptolemæi Soteris, à Philadelpho quadam regione relegatus sit. Cum ex tædio solitudinis animum despondere inciperet, & in somno ex languore degravatus esset, morsu aspidis perierit, & somnum cum morte continuarit.* Hactenus ille. An autem unus Hermippus opponi mereatur antiquissimis, eisdemque fide dignissimis Scriptoribus, tam Judæis quam Christianis ingeminantibus Demetrium fuisse curatorem bibliothecæ Philadelphi, cuilibet cordato perpendendum relinquo. Et ad fidem Aristeæ, quod attinet, audiamus

mus celeberrimum Brian. Walton. in Bibl. Polyglottis de Græc. Verſion. ubi Iſaaci Caſauboni, *in Græcis Scriptoribus verſatiſſimi*, de hoc auctore judicium refert. *Credimus admodum antiquum eſſe, & plane ejusmodi, quem non legiſſe pœniteat, ſtudioſo aut Græcæ linguæ, aut antiquitatis. nam antiquiſſimus eſt auctor. Nec dubito eum fuiſſe de quo Joſephus &c. Itaque ille eſt, qui rebus geſtis interfuit, quæ hic memorantur.* Videas etiam ſequentia ex eodem Waltonio, quæ veritatem hiſtoriæ Ariſteæ, maxime confirmant. commemorat Ariſtobulum, quo poſt Ariſteam non eſt vetuſtior, qui hujus rei mentionem fecerat; cujusq; verba in libro ad Ptolemæum Philometrem apud Euſeb. lib. 13. de Præp. Evang. hæc leguntur: ἡ δ᾽ ὅλη ἑρμενεία τῆς διὰ τοῦ νόμου πάντων, ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνου, γέγονε, προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν, Δημητρίου τοῦ Φαλερέως καὶ πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων. *Tota vero legis interpretatio,*

tio, sub Rege Philadelpho cognominato, abavo tuo, peracta est, Demetrio Phalereo magnum studium adhibente, & totum negotium promovente. His, inquit, quid clarius pro iis, quæ de Demetrio narrat Aristeas, dici poterat, non video. Possit etiam conferri clarissimus Vossius de Hist. Græc. lib. 1. cap. 12. qui egregie de hoc disserit, ostenditque non ambigendum, quin Demetrius bibliothecæ Philadelphi Alexandriæ præfuerit: quamvis statuerit quoque aliquo tempore Philadelphum, cum patre imperii consortem fuisse, eoque adhuc superstite, interpretandi laborem cœptum: verum sub filio demum absolutum esse. Quo pacto ab errore simul liberantur Clemens & Irenæus, versionem hanc ad tempus Lagidæ referentes. Porro in animadversionibus Eusebii sublestam errantium Judæorum fidem secutus, asserit illustris Scaliger, adeo non Pontificis & seniorum suffragio, in linguam Græ-

cam

cam traductam esse legem, ut verius octava die mensis Tevet, exsecratam illam, inter gentes prophanatæ legis, diem, luctu publico notarint, & sollemne jejunium instituerint. Hinc etiam refert factum esse, ut nunquam ἑλληνιςαῖς (intelligit Judæos Alexandrinos Græca lingua loquentes Act. 6: 1.] cum Hebræis convenerit; sed perpetua inter se odia exercuerint, dissensionesque, Judæis Palæstinis ut plurimum per contemtum exprobrantibus ἑλληνιςαῖς, παραφέρασιν suam ἑλληνίζουσιν, quam aliàs קראה למפרע lectionem retrorsam vocant. Sed fuisse hoc causam Judæis cur luctuosa celebrarent jejunia, eo magis mirandum est, quo potiori jure oportuisset eos diem illum summa lætitia festum habere: quo singulari DEI misericordia & consilio, Divina ejus oracula, in tantam, Principis paganæ superstitioni dediti, venerunt dignationem, ut peregre mittens, ipsa eo idiomate reddi curaret,

curaret, unde non minus Judæis per Ægyptum & paſſim alibi diſperſis, jamque linguæ ſanctæ fere expertibus, ſed & gentibus, integumentis patrii ſermonis evoluta, tandem quoque paterent, ut & illæ in aliquam cognitionis Divinæ admitterentur communionem. Philo Judæus certe narrat in Pharo inſula, ubi πρῶτον τὸ τῆς ἑρμηνείας ἐξέλαμψε, *primum verſio effulſit*, ſollemnem, tam ex Judæis quam aliis, celebritatem habitam fuiſſe, in piam recordationem tanti beneficii, & gratiæ ſibi Divinitus oblatæ. Verum, in reddenda ratione jejunii, à ſuperſtitioſis verpis ſerius inſtituti, nequaquã operoſus ero: cum Celeberrimus Dn. Præſes ex induſtria in diſſertatione ſua Graduali de Jejuniis Hebræorum hac me cura levaverit, conſultiſſimum ducens, in illorum concedere ſententiam, qui ſtatuunt Judæorum recentioris ævi hoc eſſe delirium, è fabula enatum, quâ vi-

ſum traditur 72 viris interpretibus, ut ſecus, quam in fontibus ſacris concepta fuerant, 13 ponerent loca. Fingunt n. ob legem Græcè translatam, tenebras univerſo incubuiſſe orbi per tres dies. Et in Talmud: tract: Sopherim, diem illum fuiſſe durum Iſraëli, ſicut dies, quo factus eſt aureus vitulus. quod adducit Br: Walt: In Bibl: polygl. En aniles fabulas, & figmenta ex mera invidia profecta! quod dilucide, citato loco, oſtendit Waltonius. *Originem* inquit, *hujus jejunii, & odii contra hanc verſionem cum Serrario hãc fuiſſe arbitror: quod ægre ferrent Judæi, per eam gentes ad Chriſti fidem converti, & in ea nutriri, eandemque in magno pretio fuiſſe, apud veterem eccleſiam & Judæorum plurimos: hac enim plerumque uſi ſunt Apoſtoli in prædicatione ſua. Ob hãc cauſſam nollent Rabbini, ut in Synagogis legeretur: & licet ante tempora Chriſti eam magni æſtimabant; poſteriores, qui gentibus ſalutarem ad fidem converſio-*

nem

nem invidebant, omnibus modis deprimere conati ſunt. Tandem etiam Scaliger taxat Ariſteam, quod non veritus eſſet dicere, ſenos interpretes ex ſingulis 12 tribubus, miſſos fuiſſe: quaſi tum 12 tribus exſtitiſſent, quarum 10 tempore Ezechiæ, in Mediam deportatæ fuerant. Hæc quidem primo intuitu, magnum in ſe & momentum & pondus continere videntur: interea tamen non usque adeo explodi debent, quæ à modò dicto ſcriptore, allata ſunt. Equidem cum Saliano in Annal. Eccleſiaſticis, ad annum M: 3775 concedendum aliquas tribus non integras fuiſſe tunc, præter Judam & Benjamin: tamen & hoc juxta eundem aſſerendum eſt, fuiſſe quosdam tribules, partim in Judæa & Benjamin, partim in antiquis ſedibus & domiciliis. *Bethulia*, ait, *poſt decem tribuum deportationem, urbs erat celebris & populoſa in tribu Zabulon, & multi ex Samaritis erant in regno decem*

 tribuum.

tribuum. Quin & jam tempore Christi, totam Galilæam fuisse incolis frequentissimam, ex Evangeliis apertum est; quæ tamen ad tribum Issaschar, Zabulon, Neptalim pertinebat. Quid? quod memorat Esdra cap: 2. v. ult. *Ita habitaverunt Sacerdotes & Levitæ, ex quorum populo tum cantores, tum janitores erant & Nethinim in civitatibus suis. similiter Israelitæ in civitatibus suis.* At hoc erat post captivitatem. Lucas Evangelista meminit ex tribu Ascher Annam prophetida, filiam Phanuel Hierosolymis commorantem: & Act. 26: 7. τὸ δωδεκάφυλον. Nec putandum Apost: Jacobum fuisse tam ineptum, ut affirmarit se scribere 12 tribubus ἐν διασπορᾷ constitutis, si nullæ ex iis fuissent superstites. Et profecto, notatu dignissimum, quod Brian. Walt. loco sæpius citato observat: videlicet, non Aristeam, non Josephum, non Philonem, nec quotquot inter Christianos hanc historiam commemorant: imò ne ullum quidem à nato Chri-

ſto per 15 ſecula, repertum fuiſſe, qui de hoc dubitavit: nec denique ullum contrarium teſtimonium, vel ex Judæis, vel ex Chriſtianis ſcriptoribus, adferri poſſe, niſi unicum Talmudicum in Maſſechet Sopherim, quod Azarias refert cap. 1. ſect. 7. מעשה בחמשה זקנים שכתבו לתלמי
המלך את התורה יונית וכו hoc eſt, *opus quinque ſeniorum, qui ſcripſerunt Ptolemæo Regi legem Græce &c.* Sed cum eodem loco Azarias ſibimetipſi contradicat, nihil certi ex ejus verbis erui poteſt. Ita autem ſe habent:
מעתשה בתלמי המלך שכנס שבעים ושנים
זקנים והושיבם בשבעים ושנים בתים ולא
גלה להם על מה כנסם נכנס לכל אחד
ואחד מהם אמר להם כתבו לי תורת משה
רבבם וכו h. e. *exemplum in Ptolemæo Rege, qui convocavit 72 ſenes, & collocavit eos in totidem ædiculis, cumque non dum aperuiſſet eis, quare eos congregaßet, ingreſſus eſt ad ſingulos, dixit eis, ſcribite mihi legem Moſis Magiſtri veſtri* &c. Vide Philol: Hebræo-mixt: clariſſ.

clàriſſ: Joh: Leuſden p. m. 12. Diſſidentia hæc loca, ita conciliare vult ille, ut quinque ſeniores ex magno Sanhedrin, ab Eleazaro miſſi quidam ſint ad Ptolemæum, qui verſionem adornarint: ſed vulgo 70 adſcribi, quod 70, ſeu magni Sanhedrin, ſeu 70 ſeniorum auctoritate fuerit confecta. Verum hisce moveri non poſſum, ob teſtimonia ſuperius adducta, quæ non ſinunt nos dubitare, quin ſeni ex qualibet tribu Ptolemæo conceſſi fuerint: quinam vero, non adeo liquidum eſt. Antea dictum fuit, viros probitate, doctrina & eruditione fuiſſe præſtantes. Si exiſtimaremus fuiſſe Synedrii magni adſeſſores, quibus ex officio incumbebat graviores, ad Scripturam S. pertinentes res decernere: tum forſitan illud dubium ſuboriretur, quemadmodum potuiſſet Synedrium, cujus Hieroſolymis fixa eſſe debuit ſedes, citra culpam & dignitatis jacturam deſerere gentem

tem ſuam, eamque ſupremo judicio relinquere orbam. *Ex Ariſtea,* dicit ſummus Waltonius, *diſerte legimus, Ptolemæum poſtulaſſe, ut ex omni tribu ſeni deligerentur, ad hoc munus obeundum, quod & præſtitiſſe Eleazarum ex eadem hiſtoria conſtat. Certe Synedrium illud, ante legationem conſtitutum erat: at quos ipſe poſtulavit interpretes, poſt legationem delecti & miſſi ſunt.* Itaque vero admodum ſimile eſt, licet non ex ipſo ſynedrio, fuiſſe tamen ejus auctoritate miſſos ad Ptolemæum hos, ut Ariſteas eos indigitat, honeſtos, inq; utraq; lingua, tam Græca, quam Hebræa eruditos viros, & nõ vulgari peritia comendabiles: unde quoque ſynedrium eorum ſecuritati cavens, jure a Ptolemæo efflagitat, ut poſt præſtitum translationis miniſterium, tuto reſtituantur.

§. 4. Ratio ordinis jam poſtulat, ut pauca etiam de cellulis ſubjungamus, quas Juſtinus Martyr 72: Epiphanius verò eumque ſecutus Juſtinia-

Justinianus, 36 fuisse referunt; quibus inclusi seorsim Interpretes, non sine sum̃o consensus miraculo versionem cõsumarint. Ad Epiphanium quod attinet cum omnes ab eo, præter unum Justinianum, in diversum abeant, Bell. de Verbo DEI lib: 2. c. 10. putat eum non legisse Aristeam: vel ex aliorum relatione audivisse, quæ scripserit. Testimonium verò Justini Martyris, αὐτοψίᾳ ipsi⁹ comprobatum, plures veterum secuti sunt, utpote: Cyrillus, Augustinus, Hilarius, Philastrius, Isidor⁹, Theodoretus &c. Et ex recentioribus, Serrarius, Baronius, Leo Castrius, aliiqne, cum quibus etiam Talmud consentit in Massechet Soph: Halach: c. 1. vide Sixtin: Amam: Antibarb: Biblic. lib. 1. p. m. 2. Sed cum nec Aristeas, μεγίστη (verbis ex Sixtino mutuatis) τῆς ἱστορίας ταύτης σάλπιγξ, & qui universi hujus negotii director fuit; nec Philo, nec nobilissimus scriptor, suæq; gentis studiosissimus

Josephus

Joſephus, meminerint: meritò ſolus ex Patribus Hieronymus ſuam de eo cenſuram aperit. *Neſcio*, inquit, *quis primus auctor 70 cellulas ſuo mendacio exſtruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint, cum Ariſteas, ejuſdem Ptolemæi* ὑπερασπιστὴς, *& multa poſt tempora Joſephus nihil tale retulerint, ſed in una Baſilica congregatos, contuliſſe ſcribant*. In tanto, ſuper hoc negotio, Doctorum diſſenſu, nihil difficilius quam certi quid ſtatuere. Brian: Walton: dicit ſe cum Bellarmino reſpondere, fieri potuiſſe, ut Judæi fabulam a ſe confictam, Juſtino perſvaſerint, oſtendentes ipſi quaſdam ruinas, quas cellulas eſſe dixerint LXX Interpretum. Quod autem ſanctiſſimo viro ab iis impoſitum, non minus facile erat, poſterioribus ſcriptoribꝰ arripere; præſertim cum etiam conteſtetur, ſe ab incolis, qui id a majoribus acceperant, audiviſſe, minimeque ut confictam aliquam fabulam hoc proponere. Et ſi forte

poneretur aliquid verî huic ſententiæ ineſſe: ſcilicet, ſuum cuique interpretum aſſignatum fuiſſe cubiculum, ubi penſum ſibi aſſumtum redderent; quod poſtea, cum omnes ſimul conveniſſent, relegerent, examinarent & communi omnium calculo adprobarent: id falſi tamen vero a Judæis additum videtur, quod, quemlibet oportuiſſe in domuncula ſua manere, & ab omni aliorum congreſſu, cum verteret prohibitum fuiſſe, tradiderint: inſuper verò ſingulorum verſionem, virtute DEI abſolutam per omnia ſibi tam congruam fuiſſe, ut ne verbo quidem, ab invicem diſcederēt. Omnibus in propatulo eſſe puto, Judæos, qui fabulis quam maxime delectantur, etiam hoc miraculum, ad exaggerandam translationis dignitatem, ceteris adjicere & cōminiſci voluiſſe.

§. 5. Sequitur nunc, ut trutinæ noſtræ ſubmittamus ea, quæ vulgo diſce-

disceptari ſolent de numero libror. V. Tti, quos LXX Interpretes transtulerint. Cum enim Ariſteas, Philo & Joſephus Legis tantum mentionem injiciant: imò Joſephi præfatione Antiquit. Jud. manifeſta ſunt, hæc verba: Neq; enim totam Scripturam occupavit ille (Philadelph9) ſed Legem ſolam ei tradiderunt Interpretes. Jure idcirco meritoque, controverſum eſt, utrum Legis vocabulo libri quinque Moſis, an vero omnes Canonici V. Teſtamenti comprehendantur. Apocryphi in quæſtionem non veniunt. De Joſepho Fl. hac in parte quid cenſendum, cum magnis viris diffiteri non poſſum, quin fides hiſtoriæ ejus laboret. quippe, quem aſſerit Waltoni9 aliter alibi ſentire, cum libros in Judæorum ſynagogis prælegi conſvetos, omnes nomine Legis complectatur. Jam autem notum eſt, præter Pentateuchum, qui ſtricte ſic Lex vocatur, etiam libros Prophe-

tarum in synagogis prælectos esse. Luc. 4. De cetero, prout vocabulum Legis latiori suo significatu, non modò in Sacro Codice, sed & Rabbinorum & Talmudistarum scriptis, pro omnibus Canonicis libris V. T. sumi, præter alios probet clarissim⁹ Joh: Leusd. Philol: Hebræo-mixt. de versione τῶν 70; ita quoq; illud efficitur ex eo, potuisse Aristeam, per Legem præter Pentateuchum, reliquos veteris instrumenti libros intelligere. Ad hæc, altius expendatur, pleraque quæ CHristus & Apostoli ex Vet. Tto. allegarunt, exacte cum LXXII hodierna versione concordare. Cumq; aliam, ante natum Christum, præter illam non exstitisse, luce meridiana clarius sit, cui, quæso, illa assignanda est, nisi hisce LXX? Plura dum adhuc ponderamus, quî fieri potuit, ut Ptolemæus, qui tanto studio omnia antiquitatis monumenta comparavit, solam Legem à Pontifice & Senioribus exegerit,

rit, non item reliquas nobilissimæ gentis historias, admirandaque oracula. Robur deniq; haud exiguum, mihi conciliant tot insignia veterum etstimonia, universum V. Tti. canonem à LXXII versum esse affirmantium, ut sunt: Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Augustinus, totusque antiquæ Ecclesiæ chorus. Satis hîc, opinor, testium, ut verbis Saliani utar, ad obstruendum os falsa loquentis Josephi. Suffecisset contra illum, vel unica Aristobuli Judæi, adducente illum Ampliss: Waltonio, Philosophi celebratissimi assertio, quâ epist. ad Regem Ptolemæum Philometremtotam Scripturam Græce traductam scripserit.

§. 6. Postquam sic leviter, quos libros LXX reddiderint, adumbravi: non incommode nunc disputabitur, ex quo, & quo modo interpretati fuerint. Qua prius, Philo Judæus interpretes ex Chaldaica lingua in Græcam

Græcam tranſtuliſſe prodit: quod pronis manibus arripiunt omnes, qui huic verſioni, utpote non ex puro fonte[i], ſed turbido Chaldaici Metaphraſtis rivulo deductæ, detractum cupiunt. Sed eos Brian. Walton: ex Philone ipſo refellit, oſtendens ipſum non magis Chaldaicam quam Hebræam linguam hoc loco intellexiſſe: ſic libr. de Abrah. vocabula Hebræa, HENOCH, SARA, nũc Chaldaica, nunc Hebræa vocat. Libro autem de vita Moſis, memorat feſtum Paſchatos, τὸ χαλδαϊσὶ λεγόμενον Πάσχα. Rurſus verò libro de Decalogo, feſtum Hebræorum, lingua gentilitia dici Paſcha. Ex quibus colligitur, nihil certi haberi poſſe eo, qui non confundenda confundit. Magis verè illa ratio militabit & valebit, pro ſententia, LXX Interpretes textu Hebræo in transferendo fuiſſe uſos aſſerente; ſi recta lance perpendatur, primò verſionem auctoritate Pontificis & Seniorum ſive

Synedrii Hierosolymitani adornatam: deinde verò omnium Judæorum consensu approbatam, & publice in synagogis receptam atque prælectam fuisse: quod sane nunquã contigisset, nisi ex textu originali Hebraico, cui nonnulla Chaldaica mixta reperiuntur, esset reddita. Quod ad posterius, sive modum ab iis in vertendo observatum attinet, non possum sententiæ illorum accedere, qui verbum verbo redditum, suspicantur: quod Philonem in mẽte habuisse, quidam autumant, dum κύρια κυρίοις ὀνόμασιν, *propria propriis nominibus*, traducta narrat; quum tamen videatur, nihil aliud significare voluisse, quam interpretum verba, rebus significatis & verborũ emphasi, quatenus fieri poterat, optime congruisse. Quicquid autem fuerit, hoc certum est, non tam ad verba, quam sensum eos respexisse; pari fere (dico fere, nam inter Apostolos Θεοπνεύστους & hos translatores

magnum

tarum in ſynagogis prælectos eſſe. Luc. 4. De cetero, prout vocabulum Legis latiori ſuo ſignificatu, non modò in Sacro Codice, ſed & Rabbinorum & Talmudiſtarum ſcriptis, pro omnibus Canonicis libris V. T. ſumi, præter alios probet clariſſim⁹ Joh: Leuſd. philol: Hebræo-mixt. de verſione τῶν 70; ita quoq; illud efficitur ex eo, potuiſſe Ariſteam, per Legem præter Pentateuchum, reliquos veteris inſtrumenti libros intelligere. Ad hæc, altius expendatur, pleraque quæ CHriſtus & Apoſtoli ex Vet. Tto. allegarunt, exacte cum LXXII hodierna verſione concordare. Cumq́ aliam, ante natum Chriſtum, præter illam non exſtitiſſe, luce meridiana clarius ſit, cui, quæſo, illa aſſignanda eſt, niſi hisce LXX? Plura dum adhuc ponderamus, quî fieri potuit, ut Ptolemæus, qui tanto ſtudio omnia antiquitatis monumenta comparavit, ſolam Legem à Pontifice & Senioribus exegerit,

rit, non item reliquas nobilissimæ gentis historias, admirandaque oracula. Robur deniq; haud exiguum, mihi conciliant tot insignia veterum etstimonia, universum V. Tti. canonem à LXXII versum esse affirmantium, ut sunt: Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Augustinus, totusque antiquæ Ecclesiæ chorus. Satis hîc, opinor, testium, ut verbis Saliani utar, ad obstruendum os falsa loquentis Josephi. Suffecisset contra illum, vel unica Aristobuli Judæi, adducente illum Ampliss: Waltonio, Philosophi celebratissimi assertio, quâ epist. ad Regem Ptolemæum Philometremtotam Scripturam Græce traductam scripserit.

§. 6. Postquam sic leviter, quos libros LXX reddiderint, adumbravi: non incommode nunc disputabitur, ex quo, & quo modo interpretati fuerint. Qua prius, Philo Judæus interpretes ex Chaldaica lingua in Græcam

Græcam transtulisse prodit: quod pronis manibus arripiunt omnes, qui huic versioni, utpote non ex puro fonte [i], sed turbido Chaldaici Metaphrastis rivulo deductæ, detractum cupiunt. Sed eos Brian. Walton: ex Philone ipso refellit, ostendens ipsum non magis Chaldaicam quam Hebræam linguam hoc loco intellexisse: sic libr. de Abrah. vocabula Hebræa, HENOCH, SARA, nũc Chaldaica, nunc Hebræa vocat. Libro autem de vita Mosis, memorat festum Paschatos, τὸ χαλδαϊστὶ λεγόμενον πάσχα. Rursus verò libro de Decalogo, festum Hebræorum, lingua gentilitia dici Pascha. Ex quibus colligitur, nihil certi haberi posse eo, qui non confundenda confundit. Magis verè illa ratio militabit & valebit, pro sententia, LXX Interpretes textu Hebræo in transferendo fuisse usos asserente; si recta lance perpendatur, primò versionem auctoritate Pontificis & Seniorum sive

Synedrii

Synedrii Hieroſolymitani adornatam: deinde verò omnium Judæorum conſenſu approbatam, & publice in ſynagogis receptam atque prælectam fuiſſe: quod ſane nunquã contigiſſet, niſi ex textu originali Hebraico, cui nonnulla Chaldaica mixta reperiuntur, eſſet reddita. Quod ad poſterius, ſive modum ab iis in vertendo obſervatum attinet, non poſſum ſententiæ illorum accedere, qui verbum verbo redditum, ſuſpicantur: quod Philonem in mẽte habuiſſe, quidam autumant, dum κύρια κυρίοις ὀνόμασιν, *propria propriis nominibus*, traducta narrat; quum tamen videatur, nihil aliud ſignificare voluiſſe, quam interpretum verba, rebus ſignificatis & verborũ emphaſi, quatenus fieri poterat, optime congruiſſe. Quicquid autem fuerit, hoc certum eſt, non tam ad verba, quam ſenſum eos reſpexiſſe; pari fere (dico fere, nam inter Apoſtolos Θεοπνεύστους & hos translatores magnum

magnum discrimen agnoſcimus] ratione ac Apoſtolos, loca ex veteri inſtrumento allegantes, feciſſe comperimus; nec propter hoc aliquid à fide interpretis alienum commiſerunt, modò veritatem ſenſus ubiq; integram obſervarunt. Quid? quod uſu quotidie nobis evenire cognoſcimus, cuiq; linguæ ſuum eſſe genium tam proprium, ut vix ac ne vix quidem, ſi modò vim linguæ alterius traducendæ, exhaurire voluerimus, verbum verbo referre queamus: ſed ſæpenumero unum verbum, multis circumloqui nos oporteat. Idem contigiſſe Interpretibus hisce, quis mirabitur?

§. 7. Hoc paragrapho exſequar aliqua de tempore, quo ab Ariſtea 72 diebus interpretes dicuntur verſionem abſolviſſe: quod tamen de Pentateucho ſolùm, intellectum volunt ſummorum virorum quamplurimi; non verò de omnibus V. Tti. libris. Ego verò tutius eſſe exiſtimo, alteri

alteri ſententiæ, de toto canone V
Tti. intra totidem dies ab eis reddi-
to, accedere. Verum minime eo
animo, ut alicui quidquam præſcri-
bam, cum quisque ſua ſentiendi li-
bertate gaudeat. Valde enim con-
ſentaneum videtur, eos domo pro-
fecturos, de certo modo & ratione,
tantas res efficiendi, deliberaſſe,
loca difficiliora, adhibitis commen-
tariis aliisque interpretandi ſubſidiis
& inſtrumentis, excuſſiſſe: vel mi-
nimum ea prætentaſſe ante, quam
tantum opus aggrederentur. Poſt-
hæc, ipſis Alexandriam venientib9,
non vero ſimile eſt, in uno libro vel
capite omnes ſimul occupatos; ſed
univerſum opus ita inter ſe patitos,
ut ſinguli ſuum penſum ſumſerint,
certo tempore poſt totam, aut ali-
quam ejus partem abſolutam con-
venientes, ſingulorum elucubratio-
nes reliquorum cenſuræ ſubmiſſuri:
quas, ubi quisq; ſuo ſuffragio com-
probaſſet, tandem pro totius con-

ventus versione receptæ, & juris publici factæ sunt. Quæ Brian. Waltonius, loco ante sæpius adducto, de hoc lectu dignissima habet, in compendium redigere juvabit. Supponit ad mentem Aristeæ, LXXII Interpretes, singulis diebus Rege primum salutato, operi ad horam 9 assedisse, quæ media est Hebræis, inter meridiem & occasum Solis. Pariter, inquit ulterius, singulis diebus quemq; dimidium capitis trãstulisse, *totum opus, quod* 925 *capitibus concluditur, singulis diebus* 36 *capita interpretando, intra* 28 *dies absolvere potuissent, qui non multum excedunt tertiam partem* 72 *dierum*. Reliquum temporis impendi poterat maturo examini & disceptationi eorum, quæ scripserant, ut digna redderentur evulgatione. Sed cogitet quis unde tot exemplaria suppetebant, ut singuli suo instructi esse potuerint, cum Pontifex & Seniores, unicum tantum, ad Ptolemæum miserint.

Haud

Haud inducor, ut credam, tam claros viros, atq; à tanto Rege vocatos, non magis curioſos fuiſſe, quam ut ſinguli ſuum librum non haberent, quò tanto expeditius, in negotio tam arduo atque magno, Regis exſpectationi ſatisfacere poſſent. Quod eo verius de Judæis aſſeritur, quo quisque illorum, volumen Legis in uſum ſuum deſcribere teneatur. Et cum hi non infimi ſubſellii fuerint viri, non repugnat, quo minus quisque ſuum habuerit librum. Modo, quo jam dictum eſt, LXXII Interpretes intra 72 dies, ſine miraculo conficere verſionem ſuam potuiſſe, videntur.

§. 8. Hisce, pro modulo ingenii mei expoſitis, coronidis loco videndum eſt, an adhucdum apud nos inveniatur antiqua illa LXX Interpretum verſio, & quid de illa habendum. Eam autem anhuc exſtare, & eandem eſſe, quæ fuerit illa vetus, in de verſ. Græc. nobis

perſvadere nititur ſæpe laudatus Waltonius, oſtendere volens ex ſcriptoribus Judaicis, quorum teſtimonia deſumta ſunt ex 72 verſione ſui temporis, exacte cum hodierna LXXII Interpretum noſtra conſpirare. *Hoc*, inquit, *de Joſepho & Philone apud omnes conſtat, qui teſtimonia ſcripturæ, ubique ſecundum verſionem Græcam hodiernam proferunt, etiam in iis locis, ubi LXX verſio ab Hebræo discrepare videtur.* Idem etiam evincitur ex CHriſto & Apoſtolis, quorum quamplurima ex V. T. citata, cùm ea, quæ hodie ad nos pervenit amice concordant: adeo ut nullum dubium ſit quin hodierna noſtra, ſit eadem, quæ antiqua illa LXXII verſio. Et quamvis in aliquibus locis textum Hebræum non exhauriat, & interdum ſenſum potius quam verba referat: imo ſive ipſorum Interpretum, ſive deſcriptorum, ſive hæreticorum culpa erret quandoque: meritò tamen maxime faciendam,

&

& reliquis verſionibus antepone
dam, judico. Nam & ob antiquit
tem ſuam, & ſum̃um illud pretiu
in quo habita fuit, non minus apu
Judæos, ubi publice in ſynagog
prælegebatur, quam apud Chriſti
nos, & Patres antiquæ iſtius Eccl
ſiæ lumina, etiam à nobis legenda
& ſuſpicienda eſt. Et cum DEus, n
ſine admirando æternitatis ſuæ con
ſilio, verſionem hanc lingua per u
niverſum orbem notiſſima procurâ
rit, clarum ipſius ex eo immenſa
bonitatis documentum relinquitur
quo voluerit hoc ipſo, gloriam ſuan
gentibus quoque manifeſtare, &
viam ſternere ad cognoſcendum æ
ternum myſterium Evangelii ſui, re
conditi in Filio ejus unico, Salva
tori noſtro JESU CHRISTO. Cu
cum PATRE & SPIRITU S.
ſit laus, honor & gloria
in ſecula!

Πάντα δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε.
1. *Theſſ.* 5. *v.* 21.

Ad
Pereximium atque Doctissimum Dominum
JOHANNEM TRUNDMAN,
Philosophiæ Candidatum meritissimum.

UT Te multo ante propter egregium tuum ingenium, laudabilem doctrinam, suavissimos mores, probitatemq; singularem amavi; ita nunc quoque, cum brevi, de SEPTUAGINTA INTERPRETIBUS, *disputaturum audiam, magni æstimo. Nimirum hoc est argumentum quod maximos quosque viros ita exercuisse novimus, ut in diversas abierint sententias. Sunt enim qui adeo firmiter adhærendum versioni eorum existiment, ut omnes novæ relinqui debeant, quippe cum & CHRISTO & Apostolis, & omnibus antiquis etiam Judæis, agnita fuerit. Sunt item, qui ætate vel Hieronymi puram non exstitisse doceant, cum pro varietate regionum diversa ferrētur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta haberetur atque vitiata;*

tiata; indeque factum, ut hodierno die multo conspiciatur impurior & vitiosior. Sunt itidem, qui pluribus in locis eam laudent, licet aliquando interpretes hos impegisse, aut saltem minus commodè quædam reddidisse *referant, quorum alii fidem suspectam facere conantur loca illa diligentius excutiendo, & simul cognoscendo, ipsi ne potius an vero* LXX *errarint interpretes. Quæ quidem omnia, Tu doctiss:* TRUNDMAN, *eruditissima tua dissertatione nobis, haud dubie apertius explanare constituisti. Gratulor idcirco Tibi peregregios in literis, & in hoc potissimum studiorum genere progressus, sincere exoptans, ut quævis Tibi fausta in posterum etiam eveniant, quo metam diu desideratam felicissime contingas. Vale. Ups. d.* IV. *Mens. Maji Anno* CIϽIϽCCIII.

Tui studiosissimus

PETRUS O. HIERPE.

Menda exſtantiora.

Pag. 3. διεκεράξαντο *lege* διεπράξαντο. *ibid.* ἐσαιινετὰ *leg.* ἐπαινετὰ. *p.* 8. epedientibus *leg.* expedientibus. *p.* 22. *lin.* 7. *deleantur* 70 ſeu. *p.* 24. conſumarint *lege* conſummarint. *Leviuſcula* B. L. *ipſe corrigat.*